



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

VI. Quomodo Vdalricus Presbiter, & Albinus interpres Hologast ciuitatem
adierint, & de periculo euaso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

affirmabat, infinitæ nimis esse insipientiæ, cum omnes circumiacentium nationum prouinciæ totusque Romanus Orbis Christianæ fidei iugum subierit, se velut abortiuos, gremio sanctæ matris Ecclesiæ abalienari, meritoque diligendum Christianorum populum, qui per tot annorum curricula eos sibi rebelles pertulerit, patienter expectans conuersionem eorum; nimisque verendum, si amplius iugum eius detrederint, cælestis iræ importabilem sese vindictam incur-rere.

Tandem diuinâ præueniente clementiâ, vnanimiter cultum idolorum abdicarunt, & fidei iugo colla submittentes, Idololatriam deserunt. baptisimi gratiam flagitare cœperunt. Quo audito, pastor piissimus flens præ gaudio, positisque genibus, intimas Deo gratiarum actiones exsoluit.

*Quomodo Udalricus Presbyter, & Albinus
interpres * Hologost ciuitatem adie-
runt, & de periculo euaso.* * VVolgast.

CAPVT SEXTVM.

Mox igitur in eadem ciuitate baptizatis Principibus vniuersis, binos & binos è Presbyteris sibi adherentibus, ad alias vrbes, ante faciem suam, præmisit, vt populo conuersionem Principum, suumque aduentum denunciarent. quorum duo, id est, Udalricus religiosus Presbyter S. Aegidij, & supra dictus Albinus, interpres viri Dei, opulentissimam ciuitatem Hologost dictam, adierunt, vbi à matrefamilias, vxore scilicet Præfeti vrbis, honorificè suscepti sunt, ita vt pedes eorum summa humilitatis deuotione lauaret; statimque, mensâ appositâ, copiosissimis eos dapibus reficeret, mirantibus eis & admodum stupentibus, quod talem in regno diaboli humilitatis & hospitalitatis gratiam meruissent.

Ebbo.
Vita à Canis-
dit. lib. 3. c. 5.

Quam huma-
niter VVolgast
excepti fue-
runt.

Tandem

* *Vsdom.*
Albanus caus-
am aduentus
pandit.
Mulier pro pa-
uere corruit.

Causa huius
rei.

Tam decretum
fuerat, ut tru-
cidarentur.

Abconduntur
in adibus fami-
na.

Plebs furens
impetum facit
in ades.
Qua elusare-
asit.

Tandem finita refectione, Dominus Albinus matremfamilias secretius alloquens, indicauit ei causam aduentus sui, & qualiter ad colloquium * Vznoim habitum cuncti Principes, abdicatis idololatriæ fordibus, Christi gratiam induerint. Hæc illa audiens, adeo expauit, ut terra procumbens diu semianimis remanserit; quam in aqua refocillatam Dominus Albinus requirere cœpit; cur Dei gratiam adeo exhorruisset; cum magis latari debuerit, quod Deus visitauit plebem suam mittendo ei tam idoneum Verbi ministrum. At illa, non pro hoc, ait, obstupui, sed magis pro nece vestra, iam iamq; imminente, contremuit cor meum. Nam magistratus ciuitatis huius cum omni plebe propositum habet, ut vbi cunq; apparueritis, sine retractatione occidamini: & hæc domus mea semper quieta & pacifica omnibus peregrinis superuenientibus hospitalis fuit; nunc vero sanguine vestro cõtaminanda erit re vera. Nam si aliquis magistratum introitum vestrum huc deprehendit, hac hora domus mea obsidione vallabitur; & ego infelix, nisi vos tradidero; igni, cum omnibus meis concremabor:

Ascendite ergo in superiora domus meæ, ibique latitate. Ego ministros meos cum exuiis vestris atque caballis ad remotiores villas meas dirigam, ut, si venerint inquisitores, libere vos excusare possim, cum nec indumenta vestra, nec caballi apud me deprehendantur. Illi verò piæ eius prouisioni gratias agentes, fecerunt ut docti erant: statimque ministris caballos eorum & vestes abducentibus, post modicum plebs furibunda irrupit, omniaq; scrutantes, peregrinos illic ingressos violenter ad mortem expetebant. Quibus materfamilias, fateor, ait, domum meam ingressi sunt, & sufficienter refecti velociter abierunt; & ego, qui vel vnde essent, aut quò tenderent, explorare non potui. Sequimini autem; & forsitan comprehendetis eos. Illi verò, si, inquit, abierunt, vanum est, eos insequi: sed viam suam pergant; & si denuò hic apparuerint, morti se procul dubio inuoluendos sciant. Et sic inquisitio eorum, Dei nutu, cassata est: seruique Dei Vdalricus & Albinus in solario matronæ illius, velut alterius Raab, absconditi latuerunt.